



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nobili Mvlieri.. Comitissæ Blesensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

illustri Regi Vngariæ per scripta nostra mandamus ut nuntios tuos, quos ad sedem duxeris apostolicam destinandos, per terram suam transire permittat liberè ac securè. id idem dilecto filio nobili viro . . Venetorum Duci mandantes, ut eisdem per Duratium faciat transitum habere securum. Super eo autem quòd te in devotione apostolicæ sedis perseverare firmiter asseveras, & si, necesse foret, caput exponeres pro eadem, excellentiam regiam in Domino commendamus, & gratiarum actiones referimus bonorum omnium largitori, qui hoc propositum tibi misericorditer inspiravit. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus cum karissimo in Christo filio nostro H. Constantinopolitano Imperatore illustri & aliis Latinis in Romanicæ imperio commorantibus pacem vel treugam in eas & observes. Nos enim de mittendo ad te nuntium nostrum, cum expedire viderimus, curabimus providere, juxta quod nobis fuerit de super inspiratum. Datum Laterani VII. Kal. Iunij, anno decimo.

NOBILI MULIERI . . COMITISSÆ  
Blesensi.

Epist. 66.  
Explicatur  
verba consilium  
privilegij Ca-  
nonicorum  
Carnotensium.

Cap. Cùm  
olim, De or-  
ber. signif.

Cap. Ex parte  
eod. tit.

Cùm olim pro Canonicis Carnotensibus quoddam capitulum contra te fuerit allegatum, quod dicebatur in Ecclesiæ suæ privilegio contineri, ut videlicet nemini liceat excommunicatis vel nominatis interdictis pro Canonicis Carnotensibus absque congrua satisfactione absolutionis beneficium indulgere, quoniam fuit in questione deductum quæ foret congrua satisfactio, ad intelligendum clausulam ipsam meminimus distinxisse utrum in aliquem esset interdicti vel excommunicationis sententia promulgata pro contumacia tantum, quia videlicet citatus noluit stare juri, vel etiam pro offensa, quia videlicet iustus noluit maleficium emendare; in primo casu credentes congruè satisfieri, ut hujusmodi relaxaretur sententia, si sufficiens standi juri cautio præberetur; in secundo verò, si manifesta foret offensa; dicentes nequaquam satisfieri congruè, ut relaxaretur sententia, nisi prius sufficiens exhiberetur emenda; & si forsitan esset dubia, sufficere reputantes ad relaxandum eandem, si parendi mandato competens satisfactio præberetur. Quia verò dum ansam solvimus, nodum dicimur ligavisse per hoc quòd eis-

dem Canonicis, velut asseris, proponentibus illam esse manifestam offensam, non quæ judici, non quæ alij, sed quæ sibi manifesta tantummodo videretur, major ex illa dictione, videlicet manifesta, scrupulus questionis emerit, tuis humilibus precibus inclinati, offensam illam nos rescribimus intelligere manifestam quæ vel per confessionem vel probationem legitimam nota fuerit aut etiam evidentiam rei quæ nulla possit tergiversatione celari. Datum Laterani VII. Kal. Iunij, anno decimo.

ARCHIEPISCOPO ET DECANO  
Senonensi.

Quòd quærentibus principaliter regnum Dei secundariò adiciantur & alia secundum evangelicam veritatem apostolica sedes attendens universos Crucesignatos sub sua speciali defensione recepit, provida deliberatione constituens ut bona eorum sub ejus & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei protectione consisterent, & donec cognosceretur certissimè de reditu vel obitu eorundem, illibata & integra permanerent. Cùm ergo clara memoriæ L. Blesensis & Claramontensis Comes assumpto crucis signaculo se devoverit obsequio Crucifixi, & in itinere peregrinationis vitam finiret temporalem, volentes nobili mulieri . . relictae suæ ac pupillo & procuratoribus necnon officialibus ejus paterna sollicitudine plenius providere, ut etiam ipsi defuncto Comiti respondeamus juxta suæ devotionis affectum, ac imbecillitati puerili & fragilitati femineæ consulamus, cùm difficile sit ad nos pro singulis habere recursus, vices nostras usque ad annos pubertatis pupilli sui vobis duximus committendas; discretioni vestrae per apostolica scripta mandantes quatinus, cùm oppressis quibuslibet liceat ad sedem apostolicam appellare, si quando duxerint appellandum, audiatis auctoritate nostra causas super quibus contra homines ejusdem provincie fuerit appellatum, & sublato appellationis obstaculo sine debito decidatis, denuntiantes illas sententias non tenere quæ in Comitissam, procuratores, & terram Comitis memorati post appellationem ad nos legitimè interpositam fuerint promulgata. Illas autem quæ secus prolatae fuerint, secundum formam Ecclesiæ appellatione postposita relaxetis; & injuncto quod de jure fuerit injungendum, audiatis si quid fuerit questionis, & ap-

Epist. 67.  
Rescribitur in fa-  
vorem Comi-  
tis Blesensis.